

nant, per præscientiam, actiones omnes omnium hominum, ipsamque adeo voluntatem omnium hominum, prædeterminantem, necessitatemque huic atque illis imponentem, vid. PETR. de LEDESMA, *de Auxil. Grat.*, *quest. unica, Artic. 12*, JOH. de RADA, *P. I, controu. 30, Art. 3, concl. 5*, GVIL. ESTIVM, *in 2 Dist. n. 6, n. 3, &c.*, quam horridam sententiam ipsi reiiciunt reliqui Scholasticorum, SVAREZ, VASQUEZ, LESSIVS, &c., addita hac causa, quod hinc necessario relinquatur, Deum esse auctorem & causam omnium peccatorum. Mihi sufficit h. l. illud monuisse, quod, si hæc præscientiæ diuinæ explicatio huc referatur, euertantur, cum vero sensu nostri oraculi, etiam illæ explanationes quorundam Pontificiorum, alioqui non contemnendæ, ad Act. II, 23, v. c., ipsius ESTII, CORNELII A LAPIDE, & ceterorum, dicaturque & Judas, ad prodendum Christum, & reliqui hostes eiusdem, ad damnandum & enecandum, fuisse, per hanc πρόγνωσιν, prædeterminatos ab ipso Deo, quod recte obseruarunt, DANHAVER., *in Hodom. Spirit. Pap.*, *Phant. III, p. 901, 911*, & CALOVIVS, *in Syst. T. II, p. 526*.

### §. X.

Ne quis vero nostrum facile in vllam aliquam nostri oraculi ψευδερμηνείαν incidat, mei instituti ratio postulat, vt, tam de distinguendo, quam exponendo, decenterque applicando hoc oraculo, quædam in medium nunc afferantur. Quod ad ἀνάλυσιν ac distributionem attinet textus nostri, recte de eadem iudicat FRANZIVS, *Schola Sacrif. Disp. V, Thes. 103*, & ex eodem PRVCIKNERVS, *in Vindic. ad h. l.* Auferantur ex hoc versu omnes accentus, omnia commata, cola & puncta, tamen, <sup>scilicet</sup> infallibilem antecedentium & consequentium regulam, non nisi hic ordo, & hic sensus, emergere poterit; *Licet Deus Christum, definito consilio & præscientia, dederit ad finem certum (nempe ad redemptionis opus per passionem & mortem conficiendum) tamen Iudæi, mandatum ad hoc atque impulsus nullum habentes, alia de causa, & propria malitia seui- entes, ipsum crucifixerunt.* IUSTO FEVERBORNIO interprete, *in Syntagm. Prim: P. 2, Disp. V, §. 22*, recte dicuntur hæc duo describi

describi